

A vita exitum consecuti: sic ecclesia Christi, quæ operatione hominum deserta & deserta erat, propter singularem patientiam tormentorum, ob Dei amorem suscep-
rum, talem exitum habuit, qualis iam perspicue cernitur, usque adeo, ut Esaia pro-
phetia pulchre illi consentiat: Latrare deserta solitudo, quæ exiccata es. Exultet soli-
tudo, & floreat ut lily. Et florebunt, & exultabunt loca deserta: roboramini manus
languentes, & genua debilia: consolationem capite pusillanimi mente: confortamini,
ne timeatis: ecce Deus noster iudicium reddit, & reddet: ipse veniet, & seruabit nos:
quoniam, inquit, erupit in deserto aqua, & vallis in terra sitiente, & arida erit in palu-
des, & in terram sitiensem fons aquæ erit. Atque ut ista olim verbis diuinitus prædicta,
Sacris literis commendata sunt: sic encontra eorum non amplius auditione, sed re ipsa
nobis traduntur. Solitudo hæc quæ est in aquosa, quæ vidua, cōsolatione destituta, cu-
ius in sylva lignorum securibus exciderunt ianuas eius in id ipsum, quam in securi &
ascia contriuerunt: cuius libros corrumpendo, incenderunt igne sanctuarium Dei, in
terra polluerunt tabernaculum nominis eius: quam vindemiarunt omnes transeun-
tes per viam, dirueruntque eius sepes: quam exterminauit aper de sylva, & singularis
ferus depastus est: admirabili Christi potentia iam, cum ei visum sit, iterum floret ut
lily. Quippe sicut id tempore etiam ipsius nutu & virtute, tanquam à patre diligē-
tem curam de ea suscipiente castigabatur (quem enim diligit Dominus, castigat: fla-
gellat omnem filium, quem recipit) sic ubi iam satis castigata est, rursus de integro cæ-
litus exultare præcipitur: efflorescit, ut lily, & diuinum suum odorē in omnes ho-
mines efflat. Quoniam, inquit, erupit aqua in deserto: hoc est, riuus salutatis lauaci,
in quo diuinus regenerati sumus. Et iam solitudo, quæ ante arida erat, in stagna dis-
soluta est, & in sitiensem terram ebulliit fons aquæ viuentis. Manus, quæ prius langui-
de erant, sunt reuera roborate. Atque hæc præclara & illustria monumenta exempla-
que, quæ oculis cernimus, sunt manuum roboratarum opera. Quinetiam genua, quæ
jampridem debilitata erant, & dissoluta, proprio gressu fruuntur, rectam diuinæ co-
gnitionis semitam insistunt, & maturæ ad proprium & familiarem gregem summi &
benignissimi pastoris Christi festinant. Quod si qui ministri tyrannorum perterriti, ani-
mis obtoruerūt, ne istos quidem salutaris Dei sermo curationis patitur expertes es-
se: sed eos benignè admodum sanat, & ad verum diuini numinis solarium percipi-
dum incitat, dicens: Consolationem capite pusillanimi mente, confortamini neti-
meatis. Iste nouus noster & præclarus Zorobabel, quoniam solerti & perspicaci men-
tis intelligētia percipiebat diuinum sermonem, prædicentem solitudinem illam, Ec-
clesiam dico, propter Dei amorem vastatam, post acerbam captiuitatem & abomina-
tionem desolationis, his commodis, quæ supra posui, potituram, ob eam causam non
mortuū istud Ecclesiæ cadaver aspernatus est, sed primò omnium obsecrationibus ac
precibus, cōmuni omnium vestri consensu, patrem placatum & propitium effecit: &
solum eum, qui mortuis vitam tribuit, auxiliatorē & adiutorem sibi asciscens, eccl-
esiā hanc prolapsam, simulacrum purgauerat, & fordes inde penitus exemerat, erexit:
deinde non veteri ornatu, quem olim habuerat, decorauit, sed qualem à diuinis elo-
quijs didicerat, manifestò ita referentibus: Erit gloria domus huius posterior, longè
supra priorem. Ob quam causam vniuersum locum multo amplioribus terminis cir-
cumscribens, exteriorē ambitum muro vndique muniuit, ut firmissimū totius operis
propugnaculū existeret. Ingens vestibulum in sublime erectum, versus orientis solis
radios protendit: ut iam qui lōgē extra sacros illius ambitus cōsistant, ex eius aspectu
per facilē coniecturam facere possint, eorum, quæ sunt intus tam artificiosè fabricata.
Quinetiam Gentiles ipsi non parū ad primos eius introitus contemplando alliciuntur,
vnde nemo ipsum templum praterit, qui nō sicut prioris vastitatis recordatione
renouata nō exiguū dolorē, sic ex hoc eius admirabili & diuino opificio permagnam
lætitiam animo capit. Cuius quidē opificij aspectu, eum qui superiorem eius euersio-
nem deploraret, hic noster sperabat ira prolectatum iri, ut in ipsum templum libēter
ingredi vellet. Ei autē qui portas iam ingressus fuerit, nō sit potestas impuris & illotis
pedibus statim in sancta sanctorum ascendendi: sed immēsa quædam inter intimum
sanctuarium & primos introitus intercedit intercapedo, quæ quatuor obliquis portici-
bus tanquā in gyru decorata est. Locus autē sanctuarij in speciem quadrati columnis
sublimibus est vndique circum septus: quarū media interualla sunt intersticijs ligno,
instar retis aut transennæ cancellatis, in mediocrem & æquabilem lōgitudinem por-
rectis circumclusa: medium sanctuarium desuper apertū & patens relicturn, quō cœ-
lū suspiciatur, & subtilis aët lucis radijs collustratus intromittatur. Deinceps fontes
ex aduersa fronte templi profluenti aqua redundantes positi, quibus oēs, qui in sacros
templi ambitus introeunt, fordes corporū abluant: qui fontes sacrosancta Baptisma-

Esa. 35.
Ecclesiæ pri-
de deserta &
afflita, nunca
frequens, le-
ta & valo-
da.

Psalms. 73.

Psalms. 79.

Hebr. 12.

Esa. 35.
Paulinus t. A.
quam nouus
Zorobabel
Tyria Eccle-
sie in flaura-
tor.

Lori in quo
extructa ec-
clesia, ambi-
tus.

Vestibulum.

Intersætiua-
rium & ve-
stibulu, spa-
tium & por-
ticibus deco-
ratum.
Sanctuarij
locus.

Fontes pur-
gatory.